



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Liber.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

Addunt & Fatum, sive Parcas, per eandem vocalium designationem intelligi: non tam ob Planetas septem, qui Fatorum ministri sunt, uti latius in Stella disseruimus, quam ob id, quod imago Dei habetur Septenarius, dux idem & princeps universorum, immobilis, indomitus, omnium victor, gubernator omnium: de quo plura eo loco habentur, ubi de numerorum significationibus ordine suo disputatum est.

DE LIBRO. CAP. XXXV.

Aliteris ad librum transire ipsa rei natura compellit: litera siquidem locutiones adstruunt, locutiones orationem, librum oratio.

ANTIQUITAS. CAP. XXXVI.

BEscripta folia, codicilli vel liber quomodocumque compaginatus ob signatusve antiquitatis hieroglyphicum esse perhibetur. In manuscriptis enim Hori codicibus *παιδιότιμα δηλοῖ*, legitur, non *παιδιότυπον*. Folia quidem codicillique propterea quod antiquorum mos fuit in foliis, & quarundam arborum corticibus scribere, unde & Codicis & Libri cognomena permanere. Et apud Maronem Aeneas orat, ne Sybilla foliis mandet nomina:

Ne turbata volent rapidis ludibria ventis.

Iste vero ob signatus liber, ut superius, quod in eo vel veteres sapientum disciplina, vel res gestae, longae posteritatis memoriae commendentur, atque ita liber ut diceret Horat. *Longum scriptori pro-* rogat avum. Stesichori Poetae statuam senilem, incurvam, cum libro, temporibus suis fuisse in Sicilia tradit Tullius in Verrinis. Et nos Romae apud Raphaellem Urbinatem marmoream Philemonis statuam validae senectutis vidimus, qui una manu volumen replicatum continebat, alteram ad mercedem operis passam porrigebat: de cuius avaritia in scriptis suis vanundandis alibi meminimus. Sed quoniam de literis sermo fuit, quae Musicam significant, Musica vero tam animi quam morum concordiam & concinnitatem ostendit, ut in Lyra demonstravimus, succurrit mihi quam memorabile sit commentum illud Athenodori Philosophi, qui Augustum Octavianum docuit Philosophiam. Nam cum videret hunc ad iracundiam facile commoveri, ne asperum aliquid statueret, ex quo postea poenitentia subsecutura esset, eum monuit, ut ubi irasci cepisset, quatuor & viginti illas Graecas literas memoria recenseret, ut illa concitatio, quae momentanea est ac brevis (ut Horatius ait) furor, alio traducta parvi temporis interjectu languesceret: quod & alii Augustum imitati non sine fruge factitarunt. Salvete igitur literae vere sacrae, vere caeleste donum beneficio summo mortalibus e-

En. l. 6.

De arte poetica.

Athenodori commentum.

Epistola ad Max. Lulliu 2. In furor brevis est.

quanta mox in dictionibus, quanta in orationibus virtus, si pura ipsa, nuda, simplicia, & inania propemodum elementa tantum habent virium, ut soni, quem singulae reddunt, commemoratione saltem, a perperam factis incertisque abstinere compellant?

Gggg

JOAN-